

EPISTULA LEONINA

LXXVII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXXV INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
SEPTUAGESIMAM SEPTIMAM (77) !

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam septuagesimam septimam.

Hac Epistolâ agitur de Gustavo Schwab auctore Suebo, qui optimê meritis est de mythis Graecorum Romanorumque colligendis atque narrandis.

Procul dubio opus Schwabianum est verê dignum, quod togâ induatur. Num fieri poterit, ut omnes mythi Schwabiani in Latinum convertantur? O quantum propositum! Nonnulla iam scripta sunt, sed multa restant scribenda. Videbimus. Nemo scit - ut ait Livius - quid serus vesper vehat.

Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
d. Lunae, 16. m. Iunii, a.2014**



**O SAECULUM, O LITTERAE!
IUVAT VIVERE.**

**ULRICUS HUTTENUS
(1488-1523)**

GUSTAVUS SCHWAB

(1792-1850)
 QUIS FUERIT ET QUAE SCRIPSERIT¹



Gustav Beniaminus Schwab (*d.19. m.lun. a.1792 Stutgardîâ in urbe; † d.4. m.Nov. a.1850 ibidem) fuit Germanus parochus et professor gymnasialis et auctor litterarum, qui in numerum refertur poetarum scholae Suebicae². Eius opus, quod inscribitur „Mythi antiquitatis

¹ http://de.wikipedia.org/wiki/Gustav_Schwab

² orig. Schwäbische Dichterschule

classicae³ (a.1838-1840) factum est unus ex libris puerilibus atque iuvenilibus Germaniae classicis.

De vitâ Gustavi Schwab



Monumentum Gustavi Schwab in ripâ Portûs Friderici situm.

Gustavus Schwab filius fuit *Iohannis Christophori Schwab* secreti consilarii aulici, qui aliquamdiu fuit professor *Scholae Carolinae Altae*, et *Fridericae*, filiae mercatoris Stutgardiensis bene famati et neptis *Iohannis Henrici Dannecker*. *Gustavus* adolescens imbutus est fide evangelico-Lutheranâ atque litteris humanisticis, quales coli solebant a civibus Suebiae eruditioribus. Idem gymnasium Stutgardense frequentavit et ex

³ orig. „Sagen des Klassischen Altertums“.

anno 1809 Tubingensis Coenobii Evangelici⁴ stipendiarius in *Universitate Eberhardi Caroli* primum per biennium studuit philologiae atque philosophiae, postea theologiae pernoscendis.

Mense Decembri a.1817 in Stutgardiensis Gymnasio Superiore, quod hodie appellatur Gymnasium Eberhardi Ludovici, cathedram accepit linguarum antiquarum. Nonnullis mensibus post in matrimonium duxit Sophiam Gmelin, filiam Friderici de Gmelin professoris iurisprudentiae. Ex anno 1825 per viginti annos cooperatus est in periodico, c.t. Folia delectationis litterariae⁵ in domo *Friderici Arnoldi Brockhaus* edendo, et anno 1828 ineunte redactor factus est domus editoriae Iohannis Friderici Cottae, qui edebat Folium matutinum ordinum eruditorum⁶. Hac auctoritate usus Gustavus Schwab fovebat auctores iuniores, inter quos fuerunt *Wilhelm Waiblinger, Alexander von Württemberg, Gustav Pfizer, Hermann Kurz, Eduard Mörike, Wilhelm Hauff* – necnon auctores non Suebicos, quales fuerunt *August von Platen, Nikolaus Lenau, Anastasius Grün, Ferdinand Freiligrath*. A.1837 Gustavus parochus factus est vici *Gomaringen* sub radicibus Montium Suebicorum siti; idem autem homiliis habendis et discipulis instituendis maximè delectabatur.

Gustavus Schwab opere suo *Gomaringâ* in vico conscripto factus est auctor omnium coryphaeus, qui umquam mundum mythorum deorumque graeco-romanum pueris adolescentibusque enarrando illustraverint. Spatio temporis, quod est inter annos 1838 et 1840, Gustavus mythos e textibus originalibus collegit, in theodiscum sermonem convertit, magnoque impetu paedagogico enarravit locis mythorum crudelibus eroticisve sublatis aut mitigatis. »Mythi classicae antiquitatis« tribus tomis editi, quamvis praecipue adolescentibus destinati, usque tempus hodiernum multum valebant ad mythos Graecos Romanosque etiam ab adultis lectoribus germanophonis recipiendos. Gustavus Schwab mortuus est d.4. m.Novembri a.1850 Stutgardia in urbe, morbo a medicis falso curato.

Gustavus Schwab dicitur particeps fuisse Scholae poetarum Suebicae. Eius carmen, quod inscribitur *Eques et Lacus Brigantinus*⁷ refertur in numerum carminum theodiscorum illustriorum. A.1841 accepit urbanum munus paroeciale Ecclesiae Sancti Leonhardi Stutgardiensis, a.1842 decanus factus est, a.1845 consiliarius consistorialis superior scholarum superiorum Virtembergiae. A.1847 in Universitate Tubingensi factus est doctor theologiae honoris causâ.

⁴ i.e. *Evangelischer Stift Tübingen*.

⁵ i.e. *Blätter für literarische Unterhaltung*

⁶ i.e. *Morgenblatt für gebildete Stände*

⁷ i.e. *Der Reiter und der Bodensee*.



Ecce Eques Lacus Brigantini a Petro Lenk sculptore confectus.

Domus Gustavi natalis olim 51 ad Viam Regiam⁸ sita destructa est. Imago eius ficta invenitur in domo 22 ad Scalam Montis Leporini⁹ sita, quae aedificata est supra Specum Schwabianum¹⁰, per quem ducitur Via Schwabiana¹¹, quae secundum Gustavum est appellata, in districtu Stutgardiae occidentali¹². Lapis autem Gustavi memorialis positus est ad ripam portûs Friderici¹³. Sepulchrum Gustavi Schwab sita est in Coemeterio Hoppenlauiano¹⁴, ubi etiam *Vilelmus Hauff* est sepultus.

HANC SYMBOLAM WIKIPEDIANAM DE VITA GUSTAVI SCHWAB SCRIPTAM IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

⁸ i.e. *Königstraße*.

⁹ i.e. *Hasenbergsteige*.

¹⁰ i.e. *Schwabtunnel*.


¹¹ i.e. *Schwabstraße*.

¹² i.e. *Stuttgarter Westen*.

¹³ i.e. *Friedrichshafen*.

¹⁴ i.e. *Hoppenlaufriedhof*.

Mythi classicae antiquitatis pulcherrimi¹



Imago involucralis libri a Gustavo Schwab scripti, c.t. *Die schönsten Sagen des klassischen Altertums* (i.e. Latine: *Mythi classicae antiquitatis pulcherrimi*).

»Mythi classicae antiquitatis pulcherrimi« sunt mythi antiqui a Gustavo Schwab collecti et spatio temporis, quod est inter annos 1838 et 1840, tribus tomis editi. Gustavus id sibi proposuerat, ut quam plurimos mythos Graecorum Romanorumque antiquos proflenter narraret, textûs originaliter valdê fideliter sequens et per longas partes ferê immutatos in theodiscum convertens. Primo voluerat opus suum lægi a discipulis scholarum altiorum, sed postea maturê iam commendavit, ut ïdem legeretur etiam a mulieribus adolescentibus necnon adultis. Mythi

¹ cfr http://de.wikipedia.org/wiki/Die_sch%C3%B6nsten_Sagen_des_klassischen_Altertums

Schwabiani, qui conversi sunt in duodecim linguas, sunt opus sui generis omnium divulgatissimum.

Mythi Schwabiani quomodo scripti sint et quantum valeant.

Gustavus Schwab iam in Stutgardianâ domo editoriâ Metzlerianâ munere fungens diligenter ediderat opera antiquitatis graecae atque romanae. Graecorum mythorum scientiam suam eo augebat, quod studiosê incumberebat in testimonia illorum antiqua perlustranda.

Gustavus, ut erat magister peritus discipulis docendis deditus, denique id sibi proposuit, ut iuvenes theodisco sermone loquentes scientiâ mythorum antiquorum imbueret. In textibus antiquos theodiscê reddendis magnam vim attribuit fidelitati, sed locos, qui erant argumenti crudelis aut erotici, retractando mitigabat. »Id autem auctor curavit, ut omnia removeret, quae essent offensionem [...]«¹ Schwab permultis testimoniis graecis romanisque usus est, quae animosê inter se coniunxit. »Tum demum scies rectê aestimare admirabilem continuationem, qua Schwab mythos enarrans reddidit, si consideraveris, quam conturbata sit varietas testimoniorum, quae ille transtulit«².

Complures editores recentiores conati sunt textum reddere breviorum et aptiorum ad captum puerorum adolescentiumve, velut Iosephus Guggenmos, qui »Mythos classicae antiquitatis« edidit a.1960.³ At liber Gustavi originalis interim habet auctoritatem operis classici litteraturae theodiscae. Mythi Schwabiani conversi sunt in linguas permultas: in sinicam, anglicam, finnicam, macedonicam, batavicam, lituanicam, serbicam, slovacicam, slovenicam, hispanicam, turcicam. Latina autem nondum est perfecta, sed crescit in dies!

Argumenta

Gustavi collectio mythorum omnis divisa est in tomos tres:

Tomus Primus

- **Liber primus: Prometheus; Aetates hominum; Deucalion et Pyrrha; Io; Phaethon; Europa; Cadmus; Pentheus; Perseus; Ion; Daedalus et Icarus**
- **Liber secundus: Mythus Argonautarum**
- **Liber tertius: Meleager et venatio apri; Tantalus; Pelops; Nioba; Salmoneus.**

¹ orig.: „Nur dafür hat der Verfasser gesorgt, daß alles Anstößige entfernt bleibe...“, v. praef. editionis primae: http://www.sagen.at/texte/sagen/sagen_klassisches_altertum/gustav_schwab/teil_1/vorwort1.html

² orig.: „Erst wenn man diese wirre Buntscheckigkeit der Vorlagen erwägt, die Schwab übersetzt hat, erst dann versteht man die wunderbare Geschlossenheit des Vortrags, in dem die Sagen wiedergegeben sind, recht zu würdigen“, cfr Gustav Schwab: *Sagen des klassischen Altertums*. Insel-Verlag, Leipzig 1937, p. 1015 (verba ex epilogo domus editoriae excerpta).

³ <http://d-nb.info/454530471/about/html>

- **Liber quartus: Nonnulla e mytho Herculis excerpta.**
- **Liber quintus: Bellerophontes; Theseus; Mythus Oedipodis**
- **Liber sextus: Septem contra Thebas; Epigoni; Alcmaeon et torques; Mythus Heraclidum**

Tomus secundus

- **Liber primus usque ad sextum: Mythi Troiae**

Tomus tertius

- **Liber primus: Ultimi Tantalides**
- **Liber secundus et tertius: Ulixes**
- **Liber quartus usque ad sextum: Aeneas**

Verba excerpta

Primum capitulum primi libri, cui inest mythus Promethei, incohatur his verbis, quae sequuntur⁴:

„Caelum et terra erant creata, mare intra litora huc et illuc agebatur, pisces in eo ludebant. In aëribus aves alatae canebant, humus bestiis abundabat. Sed adhuc deerat animans, cuius corpus esset tale, ut spiritus ei inhabitare et hinc dominari posset orbi terrarum. Tum Prometheus terram intravit, filius Iapeti terrigenae filii Urani, progenies veteris gentis deorum, quam Iuppiter throno privaverat. Prometheus certo scivit humo terrestri incubare semen caeli. Itaque aliquantum argillae ex humo sumpsit, quo aquâ fluminis umidato et depsto finxit figmentum secundum exemplar deorum, dominorum universi. Ut animaret hanc glaebam terrestrem, ex animis bestiarum sumpsit virtutes vitiaque eaque hominis pectori inclusit. Prometheo amica fuit aliqua ex caelestibus, Athena, dea sapientiae. Quae creaturam Titanidae admirata imagini semianimatae spiritum divinum inspiravit.“

**HANC SYMBOLAM WIKIPEDIANAM DE VITA GUSTAVI SCHWAB SCRIPTAM
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

⁴ cfr <http://gutenberg.spiegel.de/buch/4962/1>

Praefatio editionis primae

a Gustavo Schwab scripta⁵, a Nicolao Groß Latinê reddita

Mythi fabulaeque heroicae, quae ab auctoribus classicae aetatis antiquae nobis sunt traditae, hoc habent pulchrum, ut et investigatorem et hominem simplicem attrahant non eâdem de causâ, sed eâdem cum vehementiâ. Cum homo doctus in iisdem perscrutandis initia omnis scientiae humanae et cogitationes religionis atque philosophiae fundamentales et diluculum historiae primum investiget, hominem simplicem suavitate afficit summa multiplicitas personarum explicanda necnon spectaculum mundi naturalis et caelestis, qui quadamtenus adhuc est creandus; talis homo cum voluptate et admiratione videt terram ex chao cum deis deorumque filiis sursum elevari imaginibusque unâ post alteram celeriter ostensis homines scintillâ Prometheâ praeditos pugnam incohare cum barbariâ faciendam, feritatem superari cultu civili, rudem animum eruditione, cupiditatem ratione atque necessitate. His autem imaginibus quia insita est vis vitalis maior, quam ut sit obnoxia formae perfectê artificiosae, ad quam a poetis maximis redactam possidemus magnam partem illorum figmentorum, iis, quibus forma artificiosa potius sit impedimento quam auxilio intelligendi, sufficit narratio simplicissima ad imagines illas cognoscendas. Hôc in casu iuvenes incipiunt demum erudiri litteris classicis. Mythi heroici, quorum fragmenta illi mente accipiunt, cum rudimenta linguarum antiquarum ponunt, magicâ quadam vi valent ad animum iuvenum, diu antequam iidem sciunt mythos comprehendere a poetis ingeniosê descriptos. Ad ipsam altiorem eruditionem assequendam necessarium esse, ut mens praepararetur mythis accuratius cognoscendis, auctores litterarum scholarium iam pridem cum sensissent, libros omnis generis auxiliares partim ratione docendi partim delectandi scribebant et adhuc scribunt.

In hôc autem libro conor mythos classicae antiquitatis ab auctoribus, praesertim a poetis traditos enarrare formâ simplici et splendore artificioso remoto, sed, *ubicumque hoc fieri potest, propriis illorum verbis*. Magistri iam pridem desierunt putare has fabulas, quae aguntur in scaenâ mythicâ et quibus mythi sunt intertexti, adhiberi posse ad iuvenes rebus historicis, geographicis, physicis imbuendos, immo ad mores instituendos. Ratio rectae honestaeque vitae, cuius antiqui quoque homines non expertes essent, sentiatur ipsâ ex narratione, sed melius quam ipse hic liber, quem oportet iuvenis lector primum nullo alio fine in manum sumat nisi eo, ut animum refocillet ratione iucundâ, sed dignâ, pater vel magister verbis propriis iuvenem docebit, quam quasi curtae et gravibus in partibus mendosae sint illae sententiae de moribus antiquae et parum sufficientes, si comparentur cum doctrinâ christianismi revelatâ. Id unum auctor curavit, ut removerentur omnia, quae essent offensionis, ideoque sine dubitatione omnes illos mythos exclusit, quibus narrantur atrocitates inhumanae, quae quadamtenus excusantur ratione symbolicâ, sed, si

⁵ http://www.sagen.at/texte/sagen/sagen_klassisches_altertum/gustav_schwab/teil_1/vorwort1.html

narrantur tamquam res verè factae – quales oportet quidem hos mythos iuvenes habeant – necessario fieret, ut iuvenes indignarentur. Ibi autem, ubi res nostris moribus contrariae aut res, quae antiquâ iam aetate turpes esse naturaeque repugnare credebantur (quales insunt mytho Oedipodis) reticere non potuerunt ab auctore mythum narrante, qui argumento generali redolet mores honestissimos – tractator horum mythorum putat se illas res cautius tetigisse quam ut iuvenes adducantur ad imagines effingendas illiberales aut ad curiositatem nimis subtilem. Ad hunc librum intelligendum nihil necesse est nisi primoribus tantum labris attigisse mythologiam graeco-romanam aetatemque praevetustam, quas in scholâ maturê solet discere iuventus nostra patria. Opus omne divisum est in tomos tres, quorum alter continebit historiam Troiae, tertius et ultimus mythos Ulixis et Aeneae.

Stuttgartiae, mense Septembri a.1837

Gustavus Schwab

**HANC PRAEFATIONEM
MYTHORUM CLASSICAE ANTIQUITATIS
A GUSTAVO SCHWAB SCRIPTAM
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS
<http://www.leolatinus.com/>

FRAGRANTIA

Historia homicidae

Das Parfum. Die Geschichte eines Mörders



Fabula romanica
a Patricio Süskind scripta
a Nicolao Groß
in Latinum conversa
curis tertiis
edita.

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae
in domuncula editoria, quae appellatur
LEO LATINUS
a. 2014.

Editio Latina:
Copyright © 2014 by LEO LATINUS
spqr@leolatinus.com

ISBN 978-3-938905-34-0

Hic liber habet 330 (trecentas triginta) paginas. Liber constat 42 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM TOLLE LEGE !

MYTHI CLASSICAE ANTIQUITATIS PULCHERRIMI a *Gustavo Schwab* theodisce, a *Nicolao Groß* Latine redditi

Quomodo Colchi iterum persecuti sint Argonautas

Argonautae hîc hospitalissimê recepti modo epulaturi erant, cum subito in litore apparuit ingens exercitus Colchorum, quorum classis aliâ viâ huc pervaserat. Qui postulaverunt Medeam filiam rēgis, ut reducerent in domum patriam, aut Graecis minabantur iam nunc factum iri proelium terribile, necnon terribilius, si ipse Aietes cum exercitu etiam ingentiore secutus esset; immo, iam erant pugnam incohaturi, cum Alcinoō rēgi sapienti contigit, ut illos retineret dicens se optare, ut lis dirimeretur sine sanguine. At Medea genua uxoris Alcinoi amplexa: »Domina«, inquit »te imploro, ne sinas me auferre ad patrem meum, si quidem humani es generis, cui perfacile fit, ut levi errore incidat in infortunium rapidum. Sic ego quoque de animi statu deiecta sum. At non temeritate, sed timore horribili commota sum, ut unâ cum hîc viro aufugerem. Nam me virginem ducit in patriam suam. Itaque si te mei miseritum erit, utinam dî tibi praebeant vitam longam et liberos urbique tuae decoramentum aeternum.« Singulis quoque heroibus ad pedes implorans se prosternebat; omnis autem, quem invocaverat, eam iubebat bono animo esse, hastam quatiebat, gladium destringebat promittens se puellae affuturum esse, si Alcinoos eam tradere vellet.

Nocte autem rex cum uxore de puellâ Colchicâ consuluit. Arete pro Medeâ orans marito narravit Iasonem magnum heroem illam in matrimonium velle ducere. Alcinoos cum esset clemens, tum hîc audito factus est etiam clementior. »Libenter velim«, uxori respondit, »heroum necnon virginis causâ Colchos etiam armis fugare, sed timeo, ne violem ius hospitalitatis a Iove decretum; nec prudens est irritare Aietam regem potentem, nam is quamvis procul habitet, tamen potest Graeciae bellum inferre. Ergo audi consilium, quod cepi: Puella si adhuc est virgo libera, oportet patri reddatur; si autem est herois uxor, marito eam non rapiam, nam Iasonis potius est quam patris.« Hîc consilio rēgis audito Arete territa est. Ipsâ nocte praeconem misit ad Iasonem, cui omnia nuntians suasit, ut ante primam lucem Medeam in matrimonium duceret. Cum autem heroes, quos Iason certiores fecit de re inopinâtê propositâ, omnes contenti essent, Orpheo canente in speluncâ sacrâ virgo sollemniter est uxor Iasonis facta.

Postridie mâne, cum lîtus insulae et campus irroratus primis solis radiis niterent, omnes Phaeaces in viis urbis circumibant; et in altero litore Colchi stabant etiam armati. Alcinoos pollicitus ex palatio exiit sceptro manui incluso de puellâ iudicaturus; post eum Phaeaces nobilissimi

agminatim ibant; mulieres quoque congregatae erant, ut spectarent heroes Graecorum magnificos, et multi conterranei convenerant, nam Iuppiter rumorem longè latèque diffuderat. Itaque omnes ante moenia stabant parati et sacrificia nidores exhalabant versus caelum. Diu iam heroes exspectabant, quidnam decerneretur. Cum rex in throno suo consedisset, Iason prodiit et declaravit iure iurando facto Medeam filiam régis esse uxorem suam legitimam. Ubi primum Alcinoos hoc audiverat et testes connubii facti erant producti, iure iurando sollemni edixit, ne Medea dederetur, et hospites tutatus est. Frustra Colchi restiterunt; rex eos iussit aut hospites pacificos terram suam incolere aut navibus suis e portu proficisci. Iidem autem iram domini sui timentes, si sine eius filiâ revertissent, elegerunt condicionem priorem. Septimo die Argonautae ab Alcinoos haud libenter dimissi et liberaliter donati profecti sunt.

Heroum pericula ultima

Denuo nonnulla litora insulasque praeternavigaverant, et iam spectabant oram patriam Peloponnesi procul sitam, cum subito navis crudeli procellâ boreali correpta novem diebus est propulsata. Tandem pulsati sunt ad desertum lîtus arenosum Syrtium Africanarum, in sinum, quorum aqua ulvis densis spumâque inertis obsita tamquam palus stagnabat quiete rigidâ. Circumcirca erant latissimae plâgæ arenosae, in quibus conspiciebatur nulla bestia, nulla avis. His in locis navis fluctibus litori appulsa est tam propinquo, ut carina tota haeresceret in harenâ. Heroes territi e vehiculo prosiluerunt, horrentes aspexerunt dorsum terrae latum, quod aëri simile, sine ullâ varietate in infinitum porrigebatur. Nullus fons, nulla semita, nulla aula pastoris apparuit. Omnia quiescebant silentio mortuo. »Vae nobis, ista terra quae vocatur? Quoniam propulsi sumus procellis?« Sic socii unus ex altero quaerebant. »Utinam vecti essemus media in saxa natantia! Utinam aliquid coepissemus facere love nolente, ut magnum aliquid conati periremus!« »Ita est«, Ancaeus gubernator inquit, »fluctu derelicti sumus neque umquam abducemur. Omnis spes proficiscendi et domum redeundi est ablata; naviget, quisquis scit et vult!« His verbis dictis gubernaculo e manu elapso lacrimans consedit in navi. Heroes autem tamquam viri in urbe pestilenti versantes inertes, tamquam phantasmata interitum exspectantes praeter lîtus vastum repentis tristitiae se dabant.

WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT*Die Leiden des jungen Werther*

FABULA ROMANICA

A IOHANNE VOLFGANGO DE GOETHE SCRIPTA



Fabula integra a Nicolao Groß in Latinum conversa glossarioque copioso instructa. „Werther iuvenis quae passus sit“ est fabula epistolica a Iohanne Volfgango de Goethe conscripta.

Hic discus compactus (CD-ROM) directê per epistolam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS:

SPQR@LEOLATINUS.COM

TOLLE LEGE !

CD 82 paginae, datotheca pdf

ISBN 978-3-938905-19-7

num.mandatela: 00405

pretium € 28,90

Cum advesperasceret, unus alii valedicens manum porrexit, incenati unus hîc alius illîc harenae se iniecit, sagulis involuti nocte insomni expectaverunt diem et mortem. Alterâ in parte gemebant virgines Phaeacides, quae Medae a rège Alcinoos erant dono datae, circa dominam se prementes; quae suspirabant tamquam olores ultimum canticum in auras êdentes; et dubium non est, quin omnes, viri mulieresque, perituri fuerint indefleti, nisi Libyae dominatrices, quae fuerunt tres semideae, illorum miseritum esset. Quae a collis usque ad talos pellibus caprinis obtectae circa meridiem fervidam Iasoni apparuerunt sagulum, quo is caput obtexerat, submissê de temporibus trahentes. Iason territus prosiluit oculos a deabus avertens venerabundus. Illae »Miserrime«, inquiunt, »novimus omnes miserias tuas. At desine maerere! Si dea marina vehiculum Neptuni expediverit, gratias agite matri, quae vos diu in ventre tulit; deinde redeatis in Graeciam beatam.« Deae evaserunt, Iason sociis narravit oraculum consolabile, sed obscurum. Omnibus de eodem mirantibus ostentum factum est haud minus mirabile. Ingens enim equus ex utroque latere iubâ aureâ ornatus ex mari in terram prosiluit, quatiendo spumam aquae abiecit, rapidê provectus est, quasi esset âlis venti. Nunc Peleus heros vocem laetê sustulit: »Altera pars« inquit »oraculi obscuri est expleta: dea marina currum dimovit ab equo, qui illud traxerat; mater autem, quae diu nos tulerat in ventre suo, haec est Argo navis nostra; cui nunc gratias debitas agere oportet. Eandem subbaiulemus et per harenam feramus vestigia equi marini sequentes. Quem scilicet non se abditurum esse sub terram, sed nobis monstraturum viam ad aliquod emporium«. Dictum, factum. Filii deorum nave subbaiulatâ per duodecim dies noctesque hîc onere gravati migrantes gemuerunt. Semper permigrabant per vasta loca harenosa aquae expertia; nisi a deo mirabiliter essent corroborati, omnes, et viri et mulieres, primo iam die periissent. At auxilio divino iisdem contigit, ut tandem feliciter assequerentur sinum maris Tritonium; hîc locô onere demisso tamquam canes rabidi sitientes fontem quaeritabant.

Orpheus cantor iter faciens incidit in Hesperides, nymphas suaviter cantantes, quae sedebant in campo sacro, ubi Ladon draco custodiverat mâla aurea. Has cantor imploravit, ut sitientibus monstrarent fontem. Nymphas miseruit, et Aegle omnium nobilissima, coepit narrare: »Certê audax raptor, qui heri hîc apparuit, draconi vitam, nobis mâla aurea rapuit, vobis saluti vênit, o peregrini. Qui fuit vir ferox, oculis sub fronte iracundâ ardentibus; cruda pellis leonina ex eius umeris dependebat, manu tenebat clavam oleagineam et sagittas, quibus monstrum necavit.



»HESPERIDUM CAESO MĀLA DRACONE RAPIT«
 PINXIT LUCAS CRANACH MAIOR (1472-1553)

Is quoque sitiens vĕnit ex eremo harenoso; cum nusquam aquam invenisset, saxum calce impulit. Saxum autem, quasi baculo magico esset impulsum, abundĕ effudit aquam, et ingens ille vir pectore tenus humum se posuit et utramque manum saxo oppressit et volup potabat, usque dum tamquam taurus saturatus humum decumberet«. Aegle sic locuta illis fontem saxi monstravit, circa quem mox omnes heroes se presserunt. Cum potione recreabili sumptâ exhilarati essent, ardentibus labiis iterum umidatis aliquis: »Verum«, inquit, »quamvis seiunctus Hercules socios servavit! Utinam itinere perrecto in eum incidamus!« Itaque alius huc, alius illuc profecti sunt heroem quaesitum. Cum rediissent, nemo nisi Lynceus visu acerrimo praeditus putavit se Herculem e longinquo vidisse, sed non nisi ferĕ ita, ut agricola sentit se

lunam novam conspexisse post nubes lucentem, necnon affirmavit neminem assecuturum esse Herculem vagantem. Denique, cum infortuniis duos sodales perditos deflevissent, navem ascenderunt mare altum petentes; at ventus contra eos cum flaret, navis in portu inquietê huc illuc vehebatur tamquam serpens, quae frustra e latebris evadere studens oculis ardentibus stridens caput huc illuc vertit. Orpheo vate suadente itaque ad terram descenderunt et deis vernaculis maximum tripodem maximum omnium sacrificaverunt, quos in nave habebant et quod in litore reliquerunt. Argonautis redeuntibus incidit Triton deus marinus formâ iuvenis indutus. Qui e sôlo terreno glaebam sublatam pro signo hospitalitatis porrexit Euphemo heroi, qui eandem abdidit in sinum suum. »Me pater«, deus marinus inquit, »fecit tutorem huius regionis marinae. Videte, ibi, ubi est aqua profunda immota et opaca, est exitus angustus, quo ducitur e sinu in mare apertum: illuc remigate; mittam vobis ventum secundum. Deinde non iam remoti eritis ab insulâ Pelopis!« Tum Argonautae laetê navem ascenderunt; Triton tripode subbaiulato in fluctibus evasit. Nunc itinere paucorum dierum facto salvi advenerunt insulam Carpathum saxosam, unde voluerunt transnavigare ad magnificam insulam Cretam.

At custos huius insulae erat Talos gigas terribilis. Iuppiter istum solum relictum e gente hominum aeneâ, qui olim e fagis exorti erant, Europae donaverat custodem liminis, ut ter in die pedibus aeneis insulam circumiret. Huius gigantis corpus integrum constitit ex aere ideoque erat invulnerabile, excepto talo pedis, ubi ei erat tendo carnea et vena, per quam fluebat sanguis. Non dubium erat, quin si quis hunc locum novisset et percuteret, istum gigantem necaret; nam îdem non erat immortalis. Cum heroes ad insulam remigarent, ille custodiens stabat in scopulis extremis; ubi primum illos conspexit, coepit saxa effracta iactare in navem appropinquantem. Argonautae territi retro remigaverunt; qui quamvis denuo siti vexarentur, Cretam pulchram praetermississent, nisi Medea surrexisset et territos sic admonuisset: »Audite me, viri! Scio, quomodo haec belua possit domari. Attendatis modo, ut navis maneat extra saxorum iactum!« Deinde eadem plicis vestis suae purpureae sublatis ascendit foros navigii, per quos Iasonis manu ducebatur. Medea formulâ formidulosâ ter invocavit Parcas vitae raptrices et celeres canes infernales, qui per aëra vagantes semper vivos venantur. Tum vi magicâ effecit, ut palpebrae Tali aenei clauderentur, et ut eius animam invaderent species somniorum aterrimae. Îdem gigas sopitus – dorso flexo saxa petens, ut portum defenderet – talum carneum aciei saxi acutae impulit, ut ex vulnere sanguis scaturiret tamquam plumbum liquidum. Sicuti picea semicaesa primo venti ictu percussa tandem crepitans deruit, ita Talos quoque primo per breve tempus titubavit, deinde animâ efflatâ ingenti cum strepitu in abyssum maris delapsus est.



TALOS CUSTOS CRETAE HORRENDUS

Scaena cinematis, c.t. „Iason et Argonautae“ (*Jason and the Argonauts*“, a.1963, dissignator Don Chaffey).

Nunc fieri potuit, ut sodales sine periculo navem appellerent et in insulâ beatâ recrearentur usque ad mâne. Cretâ vix relictâ Argonautae territi sunt periculo novo. Ingruit enim nox atrocissima, quae nullo lunae radio, nullâ stellâ illuminaretur; aer tam niger fuit, quasi ex abyssae emissae essent omnes tenebrae; nesciverunt, utrum in mari navigarent an in fluctibus Tartari. Iason manibus sublatis Phoebum imploravit, ut liberarentur e tenebris atrocissimis; tam vehementer timebat, ut lacrimas effunderet, quae per genas defluebant, et deo promisit anathêmata splendidissima. Is autem audivit Iasonem sibi supplicantem, ex Olympo devênit, in saxum marinum saluit, arcum aureum manibus tollens, sagittas lucis argenteos trans mare iaculatus est. Nitore lucis repentino apparuit parva insula, versus quam navigaverunt et ubi, nave appulsâ,

exspectaverunt auroram consolabilem. Cum sole nitidissimo mare altum pernavigarent, Euphemus heros somnium nocturnum recordatus est. Is enim somniaverat glaebam illam Tritonis, quam pectori suo imposuisset, lacte completam vivere et fieri virginem caram haec loquentem: »Sum filia Tritonis et Libyae; manda me filiabus Nerei, ut in mari habitem apud Anaphen; deinde ad lumen solis reditura nepotibus tuis destinata ero«. Hoc autem somnium nunc Euphemus recordatus est, nam Anaphe vocata erat illa insula, apud quam mâne exspectaverant. Iason, cui heros hoc somnium narravit, sensum eiusdem mox intellexit: qui suasit amico, ut glaebam terrae, quam secum ferebat cordi appositam, in mare deiceret. Quod cum Euphemus fecisset, ecce, coram navigantibus e fundo maris nata est insula florentissima dorso fertili instructa. Quae appellata est Καλλίστη, id est Pulcherrima, et Euphemus postea eam incoluit liberis suis.

Hoc fuit ultimum miraculum, quod heroes experti sunt. Paulo post iidem insulâ Aeginâ recepti sunt. Postquam illinc ad patriam navigaverunt, Argo navis sine ullo incommodo cum heroibus suis feliciter in portum Iolicensem. Iason in freto Corinthio navem Neptuno consecravit, et eadem cum pridem ad pulverem esset redacta, in caelum sublata in firmamento australi nitebat stella nitidissima.

Iason quomodo perierit

Iason non assecutus est sedem regiam Iolci, cuius causâ subierat iter periculosum, Medeam patri rapuerat, Absyrtumque Medae fratrem nefariê occiderat. Necesse fuit eum regnum relinquere Acasto filio Peliae et unâ cum uxore iuveni Corinthum aufugere. Ibi per decennium cum Medeâ vixit, eaque Iasoni peperit tres filios. Duo filii natu maiores erant gemini et vocabantur Thessalus et Alcimenes; tertius, nomine Tisander, multo minor erat. Illo tempore Medea non solum pulchritudinis gratiâ, sed etiam animi ingenui ceterorumque commodorum gratiâ a marito suo dilecta et culta est. At postea cum processu temporis formae blandimenta paulatim deminuerentur, Iason pulchritudine iuvenis puellae, filiae Creontis régis Corinthiorum, nomine Glaucês, inflammatus atque infatuatus est. Uxore nesciente virginem petivit, et pater eius cum assensus esset et dies nuptiarum dicta esset, primum conatus est uxori persuadere, ut voluntariê de connubio decederet. Medeae affirmavit se novum connubium non inire velle, quia se taederet amoris prioris, sed ad liberos suos fovendos se studere, ut affinitatem cum altâ illâ domo regiâ iungeret. At Medea erat indignata de hac petitione et irâ incensa deos invocavit testes iurisiurandi, quod Iason iuraverat. Iason hoc negligens filiam régis in matrimonium duxit. Itaque Medea desperata in palatio

mariti circumvagabatur. »Vae mihi«, inquit, »utinam flamma caeli decidat in caput meum! Quid diutius vivam? Utinam mortem mei misereat! O pater, o urbs patria, quas turpiter relinqui! O frater, quem occidi et cuius sanguis nunc venit super me!¹ At non maritus meus debuit me punire; nam peccavi eius ipsius gratiâ! Dea iustitiae, utinam perdas istum istiusque paelicem!«

Cum adhuc querebatur, incidit in Creontem, Iasonis socerum novum. Is illam allocutus: »O tu«, inquit, »quae torvis oculis me aspicias, quae marito irascaris, filios tuos manu apprehendas et relinque terram meam sine morâ; domum non redibo, priusquam te trans limites meos fugavero.« Irâ repressâ Medea haec moderatê locuta est: »Quid mali times ex me, Creon? Quidnam mali tu mihi fecisti, quidnam tu mihi debuisti? Tu filiam tuam dedisti viro, qui tibi placuit. Quidnam ego curanda fui tibi? Maritum tantummodo odi, qui mihi omnia debet. At haec transacta sunt; licet vivant illi connubio inter se coniuncti. At me, precor, sinatis vivere in hac terrâ; nam quamquam animus meus est graviter laesus, tamen tacebo potentioribus subiecta«. Quamvis Medea genua Creontis complexa eum obsecraret per nomen Glaucis filiae régis propriae, quae mulieri valdê exosa erat, Creon, cum videret oculos mulieris iracundos, ei non confisus est. »Abi«, îdem inquit, »et libera me a curis!« Deinde rogavit, ut sibi concederetur unus tantum dies morae, ut viam fugae et asylum liberorum quaereret. Tum rex: »Anima mea« inquit, »non est tyrannica; iam saepius nimiâ verecundiâ hominibus ineptê indulsi. Nunc quoque sentio me non sapienter agere; tamen liceat tibi facere quod vis, mulier«.

Mora exoptata cum sibi esset concessa, Medea tantâ insaniâ correpta est, ut facinus susciperet perficiendum, quod antea iam viderat animo suo obversans, sed fieri posse ipsa non putaverat. Tamen antea conata est marito persuadere, ut is intellexeret, quam iniustê et quam nefariê egisset. Itaque Medea ad Iasonem prodiens: »O tu omnium virorum pessime« inquit, »tu me prodidisti, novum connubium iniisti, quamvis habeas liberos nostro connubio genitos. Si liberorum expers esses, tibi ignoscerem; esset tibi excusatio. At cum pater sis, es inexcusabilis; nescio, utrum opineris deos, qui illo tempore imperaverint, quo mihi fidem dedisti, non iam imperare, an hominibus datas esse novas lêges agendi, ut tibi liceat peierare? Quaeram ex te, quasi sis amicus meus: quo suades mihi, ut abeam? Remittesne me in domum patris mei, quem prodidi, cuius filium necavi, tui gratiâ? An quod refugium mihi commendabis? Verum enim vero, tibi novo marito erit gloriae magnificae uxorem tuam primam cum filiis tui propriis peregrê mendicari!« At Iasonis

¹ cfr MATTHAEUS 27,25 Et respondens populus universus dixit: »Sanguis eius super nos et super filios nostros !«

animus mansit obduratus. Qui Medeae promisit se multâ pecuniâ et litteris ad hospites datis eam liberosque dimissurum esse. Ea autem omnia aspernata: »Abi«, inquit; »illam duc in matrimonium; nuptias si celebraveris, dolebis!« Marito relicto Medeam paenituit horum verborum, non, quia animus eius mutatus esset, sed quia timuit, ne Iason observaret, quid actura esset neve ille impediret facinus nefarium, quod esset factura. Itaque iussit illum rogare, ut iterum secum colloqueretur et vultu mutato Iasonem sic est allocuta: »Iason, ignosce mihi ea quae dixi; irâ caecâ seducta sum, sed nunc intellego omnia, quae tu fecisti, fore nostro usui optimo. Cum pauperes et exulati huc venerimus, tu vis novâ patriâ tuâ tibi, liberis tuis, denique etiam mihi consulere. Filii tui cum aliquamdiu procul afuerint, a te revocabuntur, participes fient felicitatis fratrum sororumque, quas accipient. Advenite, advenite, pueri, amplectimini patrem vestrum, reconciliate vos cum eo, sicut ego me cum eo reconciliavi!« Iason cum crederet Medeae animum reverâ esse mutatum, valdê laetatus illi liberisque optimum promisit; Medea autem illius animum etiam firmiorem reddidit. Iasonem enim rogavit, ut liberos secum retinens se solam sineret proficisci. Porro, ut nova uxor eiusque pater hoc paterentur, iussit e promptuario suo afferre aurea vestimenta splendidissima Iasonique obtulit dona sponsalia filiae régis danda. Is autem postquam aliquamdiu haesitavit, quidnam faceret, persuasus ministrum misit, ut dona sponsae traderet. At istaec vestimenta magnifica veneno magico erant intincta, et Medea, cum marito simulatê valedixisset, in horas exspectabat nuntium sibi de donis acceptis allaturum. Tandem îdem vênit Medeae acclamans: »Medea, ascende navem tuam, fuge! fuge! Adversaria tua eiusque pater sunt mortui. Cum filii tui cum patre domum sponsae intravissent, nos ministri omnes gavisus sumus discordiam evasisse et reconciliationem esse perfectam. Regina iuvenis vultu hilari maritum tuum recepit; cum autem liberos aspexisset, oculos manibus obtexit, faciem avertit, illorum eam pertaedit. At Iason iram illius placavit, tui causâ verbum bonum dixit, dona coram illâ evolvit. Regina aspectu vestium pulcherrimo commota animum mutavit et sponso pollicita est se omnibus propositis assensuram esse. Cum maritus tuus cum filiis illam reliquissent, regina cupidê ornamenta apprehendit, amiculum aureum sibi circumdedit, coronam auream capiti suo imposuit seque laetê aspexit speculo lucido redditam. Deinde per cubicula ambulans tamquam puella parvula de magnificentiâ suâ gaudebat. At mox spectaculum mutatum est. Colore faciei mutato, omnibus membris trementibus retro titubavit, et priusquam sedem assecuta est, in pavementum collapsa est, palluit, coepit oculos contorquere, spumas in ore agebat. Lamenta in palatio resonuerunt, alii ministri ad patrem, alii ad maritum futurum properaverunt.

Interim corona magica capiti reginae imposita inflammata est; et veneno et flammâ puella absumpta est; pater autem eius cum lamentans approperavisset, nihil vidit nisi filiae corpus mortuum et defoedatum. Rex desperatus in filiam se coniecit; veneno vestimenti homicidialis affectus is ipse necatus est. De Iasone nihil scio.«



PARVULIS NECATIS MEDEA CURRU MAGICO AVOLAT. VAE IASONI!

Pinxit Charles André van Loo (1705-1765). Potsdam (Sanssouci, 1760)

His rebus atrocissimis narratis pro eo, ut furor Medeae mitigaretur, etiam vehementius inflammatus est; mulier cupiditate ulciscendi correpta tamquam furia rapidê profecta est, ut marito sibi ipsae plâgam inferret maximê mortiferam. Medea properavit ad cubiculum, in quo filii dormiebant; nam nox advenerat. Iter autem faciens se ipsam allocuta: »Arma te«, inquit »anima mea, quid cessas perficere facinus atrox sed

necessarium? Obliviscere, misera, eos esse filios tuos, eos partos esse a te. Hac tantum horâ hoc obliviscere! Postea defle eos per totam vitam tuam. Eis ipsis sic benefacies. Nisi eos occideris, morientur manu infestâ.«

Iason cum in domum suam properaret, ut sponsae suae iuvenis necatricem quaereret et ab eâdem poenas peteret, clamores audivit filiorum lamentantium, qui cultro homicidiali percussi sanguinem effundebant; cubiculum raptim apertum intrans invênit filios tamquam hostias piaculares iugulatos; Medea autem non apparuit. Desperatus cum domum reliquisset, auscultavit sonum supra caput suum ex aëre editum. Oculis sursum coniectis animadvertit homicidam horrendam per aëra avehi curru draconibus adiuncto, quem arte suâ magicâ effecerat, locumque relinquere ultionis suae atrocissimae. Iason, cum spem abiecisset illam pro scelere nefario puniendi, desperatus caedem Absyrti recordatus in gladium incubuit et in limine domûs suae collapsus est.

**MYTHUM ARGONAUTARUM
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM
IN LATINUM CONVERTIT**

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

VOCES & ECHÛS

VALTHERUS BERSCHIN

Professor emeritus philologus Universitatis Heidelbergensis

22.V.2014-06-05

Sehr geehrter Herr Kollege Groß,

gestern habe ich Ihre „Sex Olores“ gelesen: mit Begeisterung, wie klar und glatt Sie den Grimmschen Text ins Lateinische gebracht haben! Ich gratuliere zu diesem Meisterstück, hoffe noch viel Schönes von Ihnen zu lesen und wünsche alles Beste

Walter Berschin

i.e. Latine:

Domine collega Groß maxime honorabilis,

heri legi tuos „Sex Olores“: animo inflammato animadverti, quam clare atque polite textum Grimmianum in Latinum transtulisti! Tibi gratulor, quod confecisti hoc opusculum artificiosum et spero me etiam multa pulchra lecturum esse a te scripta et exopto optima quaeque.

Valterus Berschin

ARNO HOES BATAVUS

Dear Leo Latinus,

... I read every Epistula Leonina you send me, not really easy reading for me, but always enjoyable! I wish you all the best, **Arno Hoes**.

i.e. Latine: Care Leo Latine, ...lego omnem Epistulam Leoninam a te mihi missam, non vere facilem lectu mihi, sed semper delectabilem! Exopto tibi optima quaeque, Arno Hoes.

ELLEN PFOHL HAMMABURGENSIS 23.03.2014

Sehr geehrter Herr Groß,

immer wieder vielen Dank für Ihre wunderbaren Epistula! Wahrlich maximo usui et fructui! Gibt es eigentlich auch schon eine lateinische (Teil)Ausgabe zu den Grimmschen Märchen? Wenn ja, würde ich sie hiermit bestellen oder auch subscribieren.

Herzliche Grüße aus Hamburg

Ellen Pfohl (Landesvorsitzende Hamburg DAV)

Liebe Frau Pfohl,

herzlichen Dank für das schöne Lob! An einem großen Opus Grimmianum wird gearbeitet. Wenn der erste Band fertig ist, mache ich Ihnen Mitteilung.

Viele Grüße, Ihr Nikolaus Groß

i.e. Latine:

Domine Groß maxime honorabilis,

semper gratias tibi ago multas pro Epistula tua mirabili! Ceterum estne iam editio Latina (partialis) Fabellarum Grimmianarum? Si talis iam est, eam his verbis mihi mando aut tali subscribo. Medullitus te salutat Hammaburgo

Ellen Pfohl (Praesidens Associationis Palaeophilologorum Germanicae Hammaburgensis)

Cara Domina Pfohl, magnas gratias pro hac laude pulchra! Magnum opus Grimmianum hōc tempore praeparatur. Primo tomo perfecto te certiozem faciam. Medullitus te salutat Nicolaus Groß.

MARCUS CRISTINI ITALUS

5.6. 2014

Marcus Cristini Nicolao Groß s.p.d.

nuper iterum vidi photographemata a me facta Lutetiae in Museo Lupariensi. Inter haec inveni photographemata leonis cum pila, sic cogitavi: tempus pedifollii venit etiam Leoni Latino...

Optime vale

Marcus Cristini

LEO LATINUS MARCO CHRISTINO

SAL.PL.DIC.

S.V.B.E.E.V.

Care Marce,

pulcherrima photographemata leonis pila ludentis in museo Lupariensi fecisti. Velim eadem in Epistula Leonina divulgare. Licetne? Sed non possum eadem copiare. Potestne fieri, ut mihi eadem divulganda praepares?

Medullitus te salutat Nicolaus Groß LEO LATINUS

Marcus Cristini Nicolao Groß s.p.d.

Care Nicolae,

laetus sum photographemata mea tibi placuisse, si ea publicare velis, adsentior. Ego photographemata tibi iterum mitto, haec servavi cum programmatibus JPEG et PDF. Fere servo photographemata JPEG facta sine difficultatibus ab epistulis electronicis. Si velis, tibi photographemata magnitudine haud deminuta mitto.

Interea, si tempus respondendi habes, paulum beneficium ex te petiverim. Ego textum de litteris latinis in Bello Mundano Primo scribere debeo, commentarium pulchrum de poetis latinis Belli Mundani in libro, qui *Musae Saeculi XX Latinae* nuncupatur, inveni, sed careo notitiis de libris historicis, orationibus, epistulis vel dialogis scriptis Bello Mundano Primo flagrante. Cognoscisne aliqua scripta Latina memoria digna inter 1914 et 1918 composita? Noscis nomina commentaria periodica Latina huius temporis?

Gratias tibi maximas ago!

Optime vale

Marcus Cristini**Nicolaus Marco s.**

Summas gratias pro permissu photographemata publicandi. Quod attinet ad litteras Latinas tempore belli mundani primi edita in praesenti pro dolor nescio, quid tibi respondeam. Sed occasione data tales litteras investigabo. Vale semper, N.G.

GAIUS LICOPPE & FRANCISCA DERAEDT BELGAE 26.04.2014

Gaius Nicolao s.p.d.

Theodericus Sacré, cum de Parvo tuo Nicolao audivisset, a Francisca petivit ut de eo recensionem conscriberet, quae in Academiae sede interretiali poneretur; non dubito quin translatio tua multo melior sit quam ea Francogallicorum auctorum, de qua pessimam recensionem in eadem sede interretiali inuenies (<http://www.academialatinitatifoendae.org>). Gratum facies si ad nos exemplar mittes, ut Francisca aestimationem conscribere possit, quae certe etiam in Melissa divulgabitur. Cura ut valeas.

Nicolaus Gaius s.p.d.

Gratias plurimas pro litteris tuis ago, care Gai. Valde gaudeo quod Francisca Parvum Nicolaum a me togâ indutum est aestimatura. Libenter vobis exemplum libelli mittam.

Proximo anno praeterito Turicensis Domus Diogenis de illo "Nicoletto" parum laudabili iam ab aliis certior facta me rogaverat, ut octo narratiunculas Parvi Nicolai Latinè redderem. Mihi mandaverat, ut eas in Latinum converterem "fideliter secundum versionem Iohannis Georgii Lenzen" (qui est Germanus interpres Parvi Nicolai quadamtenus "classicus"); itaque more Lenzeniano nonnullas proprietates Francogallicas lectoribus Germanophonis (Germanis, Helvetiis, Austriacis) minus bene notas (nomina personalia, geographica, monetaria eqs) mutavi.

Spero mihi contigisse, ut ...

- colorem, tenorem, ductum vere Latinum servarem.

- admirabilem levitatem puerilemque leporem dicendi Renati Gosciny in Latinum sermonem transferrem.

Ceterum de Renato et Iohanne Iacobo necnon de Parvo Nicolao iam rettuli in Epistolâ Leoninâ 73 (etiam de verbis, q.s. "Chouette!" et "Glaucops!" nonnulla, p.6sq.); quam, ni fallor, vobis iam misi; sed quia nescio, num acceperitis (multa enim demerguntur in abyssis interretiali), iterum missurus sum.

Ad quam inscriptionem cursualem libellus est mittendus? Indicate, quaeso.

Valete pancratice, cari Melissurgi, et pergite mihi favere.

Medullitus vos salutat

Nicolaus.

Die 14/05/14 20:26, Nicolaus Gross, Gross@Leolatinus.com scripsit:

Cari Melissurgi,

valde doleo, quod missio libelli est retardata. Monui secretarias, ut eundem tandem mittant. Promiserunt libellum hac septimana vobis allatum iri. Scribite mihi usque ad finem huius septimanae, num acceperitis. Pancratice valete mihique favere pergite.

Medullitus vos salutat Nicolaus Groß.

Gaius et Francisca Nicolao s.p.d.

Liber nobis modo est allatus. Tibi valde gratulamur de hac lauta editione deque lepida translatione. Utinam Francogalli eam videntes erubescant de sua versione calamitosa! Tua autem interpretatio et in Melissa et in Academiae sede interretiali laudabitur ut decet.

Cura ut valeas.

FABRICIO FERREIRA BRASILIANUS

Hello, I'd like to purchase the books Recitator, in its electronic form, and Parvus Nicolaus, the printed, bilingual (german-Latin) edition, if it's already available. How can I do that? Can we do it per email or do I have to place the order on your website, as I did with Fragrantia?

Thank you. I'm a great admirer of all your translations and an avid reader of the epistolae leoninae. I owe much of the Latin I know today to the texts you write.

Best regards,

Fabício Ferreira.

i.e. Latine: Salve, velim emere librum Recitatoris formâ electronicâ editum et Parvi Nicolai editionem impressam et bilinguem (germanico-Latinam), si adhuc accipi potest. Quomodo hoc facere poterò? Poterimusne hoc facere epistolio electronico an mihi mandatum imponendum erit situi interretiali tuo, ut feci cum emerem Fragrantiam?

Gratias ago. Sum magnus admirator omnium tui translationum et lector avidus Epistularum Leoninarum, Debeo multum Latinitatis quod hodie novi textibus a te scriptis.

LEO LATINUS FABRICIO SAL.PL.DIC.

Summas gratias, care Fabrici, quod tibi mandavisti duos libros. Valde gaudeo, quod tibi placent opuscula nostra. Laude enim tua me perhumaniter adhortaris, ut pergam talia opuscula scribere.

PARVUS NICOLAUS a Leone quidem translatus est, sed non ab eo venditur. Qui libellus enim editus est in domo editoria Helvetica, quae inscribitur DIOGENES: Libellus involucri semilineo instructus, 144 paginae. ISBN 978-3-257-01169-2 € (D) 16.90 / (A) 17.40 sFr 24.90* pretium commendatum, non obligatorium.

<http://www.diogenes.de/leser/suche/home?q=parvus+nicolaus&suchlupe.x=13&suchlupe.y=1>
<http://www.diogenes.de/leser/kontakt>

Quod attinet ad RECITATOREM, doleo, quod Leo Latinus non vendit huius libri receptiones electronicas, sed typographicas tantum editiones, i.e. chartaceas. Si librum typis impressum accipere volueris, solvendi tibi erunt 45,00 € (pro libro ipso) et 10 € (pro involucri expensisque cursualibus) et circiter 4 € pro expensis PayPalianis. Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Haec hactenus. Scribe, quid tibi placeat.

Vale semper, care Fabrici, et perge mihi favere. Medullitus te salutat

LEO LATINUS

PATER GIVANILDUS BRASILIANUS

Ave, Leo Latine!

Epistulam Leoninam recepi. Maximas gratias.

Scito quod illas Marci Tullii orationes, quas recitasti quasque mihi misisti, dum iter facio per urbem, audio. Non semel tamen audivi, sed pluries. Et ita pergam audire, ut aliquando ex memoria fere omnia possim recitare.

Diligentia ista tua pluris est existimanda. Utinam aequales nostri linguae Latinae operam dent! Cultus et humanitas nostrorum temporum alia erunt.

Vale.

Pater Givanildus.

Ave, Leo Latine,

Penes me est Epistula Leonina LV, quam mihi misisti. Maximas gratias.

Etiam apud nos, qui in urbe Brasilia vivimus, non desunt homines, qui Linguam Latinam contemptui faciunt. Quidam enim oderunt quod nesciunt; alii vero non amant id, quod dicunt novisse. Alius sic, alius sic.

Nos autem novimus praestantiam Linguae Latinae, quae per tot saecula aptissima fuit et erit ad exprimendos altissimos cogitationis et mentis humanae fructus. Perge scribere. Perge mittere nobis scripta. Nihil despectui erit. Omnia scimus nobis esse profutura.

Plurimum vale.

Pater Givanildus.

Ave Leo Latine,

Gratias tibi pro Epistula Leonina quinquagesima sexta, quam mihi mandasti. Rem vere difficilem tibi proponis, ut septimanatim edas epistulam. Ego, non sine magno aliquando labore, singulis mensibus debeo scribere meis. Quantam, reor, operam non dabis tu, qui septimanatim scripturus es?!

Aetas nostra plena est narrationibus portentosis: hominibus, qui originem ducunt a stellis, qui volant, qui alia mirabilia faciunt; animantibus et plantis, quae loquuntur. Quam multas etiam possumus eiusdem generis res narrare! Quid erit sectarum assectatoribus dicendum, exempli gratia, de Patre Natali, de Superman deque aliis plurimis, qui fere quotidie apparent? Verum

sive agatur de pueris sive de adultis, omnes, qui tales vident aut audiunt fabulas, sciunt se videre vel audire fabulas. Nulla est pernicietas homini sui compoti. Sunt mera oblectamenta.

Care Leo Latine,

Hic, in terra nostra, sectae ita pullulant ut gramina. Fanatici et obstinati sunt. Ipse experiendo didici quam inutile et molestum sit religionem cum iis disputare. Plerique eorum fingunt se esse Scripturarum peritissimos, sed antiquorum prorsus ignorant historiam, mores, usus et linguas. Immo nesciunt progressum revelationis, qui patet in Scripturis.

Qui sine praeiudicatis opinionibus legunt antiquissimos Veteris Testamenti libros, comperiunt ibi nihil clare et aperte dici de immortalitate animae. Veteres arbitrabantur animam esse corpoream rem, sanguinem scilicet. Propterea Testes Iehovae non admittunt sanguinis transfusionem, ne animae inter se commutentur. Quod absurdum est. Exinde vides Testes Iehovae non esse vere christiani.

Quam ob rem, quia fanatici et obstinati sunt, non possumus aperte improbare sententias eorum. Magis proficimus, si subtilissimis verbis, sine contumelia, pedetemptim demonstramus falsas esse sententias illas, quibus innituntur.

Pater Givanildus.

Em 17/09/2013, às 13:43, SPQR <SPQR@leolatinus.com> escreveu:

Leo Latinus Patri Givanildo s.

Care Givanilde,

assentior tibi dicenti multas esse fabulas portentosas quidem, sed minime timendas. At noli oblivisci, quam vesani, immo periculosi haud raro sint talium sectarum assectatores! Quod attinet ad Testes Iehovae, quales dicuntur, unum tantum exemplum sufficiat: Qui ad quendam locum Veteris Testamenti (1. Mose 9:3,4) provocantes, non permittunt, ut fiat transfusio sanguinis. Malunt cognatum aut agnatum incommodo viali graviter violatum mori quam sanguinem alterius hominis accipere.

Quid tibi videtur de tali persuasione periculosa?

Vale semper,

LEO LATINUS

Givanildus Leoni Latino salutem.

Ave, Leo Latine,

Venturo Saturni die, 19 Octobris, celebraturi sumus festum Sancti Petri de Alcantara, Brasiliae Patroni et paroeciae nostrae. Mitto tibi brevissimam vitae eius narrationem, quam paravi discipulis meis, et quam non semel emendavi, et quam publici iuris feci in Vicipaedia Latina. Si tibi quid videatur minus recte scriptum, noli celare sententiam tuam, quae mihi magni erit pretii.

Plurimum vale.

Leo Latine,

Sancta Teresia, uti aiunt, somniis et visionibus afficiebatur quibusdam, quae sacerdotes, qui Teresiam solebant audire, sic interpretabantur ut insidias diaboli. Quae somnia et visiones Teresiae, licet invitae, iterum atque iterum fiebant. Solus Petrus de Alcantara, auditis et recogitatis omnibus rebus, animadvertit non de insidiis, verum de divinis agere monitionibus, quibus Teresia non debebat resistere. Quomodo diiudicavit vera a falsis? Monitiones Dei ab insidiis diaboli? Ex fructibus, inquam. Mulier illa quanto magis somniabat et videbat, eo magis pia, sapiens et sobria reddebatur.

Pater Givanildus.

Em 13/10/2013, às 16:24, SPQR <SPQR@leolatinus.com> escreveu:

Leo Latinus Patri Givanildo s.

Care Givanilde,

multas gratias pro Vita Sancti Petri de Alcantara a te scripta! Scriptiuncula tua perlecta nonnulla didici scitu digna. Quendam locum non ita bene intellego: Scribis: "Cui (sc. Sanctae Teresiae) a confessionibus fuit et cuius spiritus difficultates sapienter interpretatus est." De quibus spiritus difficultatibus loqueris? Cum de Sancta Teresia parum scio, rogo te, ut hoc mihi explices. Ceterum mihi notavi locutionem "alci a confessionibus esse"; quae mihi ignota erat. Vale pancratice, care Givanilde; utinam fiat dies festus vobis pulcherrimus!

Nicolaus Groß

Leo Latinus

Givanildus Leoni Latino salutem.

Ave, Leo Latine!

Magno mirabilique labori, reor, operam das. Fabellæ, quas convertis in Latinum sermonem, valde prosunt Latinitatis amantibus. Ipse quot verba didici ex scriptis tuis! Gratias.

Vale.

Pater Givanildus.

Ave, Leo Latine.

Discipulis in schola describo res, sed aliquando verba Latina mihi desunt. Quibus verbis, quæso, dicuntur Latine "herd" (quod Anglice dicitur kitchen stove) et "drucker" (quod Anglice dicitur printer)?

Givanildus.

Nicolaus Givanildo s.

Care Givanilde,

i.q. theodisce dicitur "Herd" et anglice "kitchen stove", Latine dicitur focus, -i m. (culinaris).

i.q. theodisce dicitur "Drucker" et anglice "printer", si est instrumentum (plerumque ad computatrum spectans), dicitur

"typographum, -i n." (computatrale), si est vir, dicitur "typographus, -i m.".

Vale semper, Nicolaus Groß LEO LATINUS.

**HANC EPISTULAM LEONINAM
SEPTUAGESIMAM SEXTAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Lunae, d.16. m.Iunii. a.2014

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>